



25.

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
SISTENS CASVM

DE  
**COLICA FLATVLENTA**  
**INCOLIS GEDANENSIBVS**  
**FREQVENTISSIMA,**

QVAM  
SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI,  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,

DOMINO  
**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
**DE GVDENVS,**

EPISCOPO ANEMORIENSI,  
SVFFRAGANEO ERFORDIENSI, EMINENTISS. PRINCIP. ELECTORIS MOGVNT.  
CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEMQUE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIF.  
J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. S. SEVER. CANON. CAPIT.  
ET SCHOLAST.

INDVLTV ET CONSENSV GRATIOSÆ  
FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQVA HIERANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
VNA CVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS HVIC  
DIGNITATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTI-  
NENDO

PVBLICÆ ET PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVVSITIONI SVBMITTET

**Frau Bott Lobe / Nordhusa-Thuringus,**

Medicinæ Practicus Gedanensis,  
AD D. XXVIII. JVNII ANNO MDCC XXVI.  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





INSTITUTIONE UNIVERSITATIS MEDICAE  
SISTENS CASVM

DE  
COLICAE FLATULENTIAE  
INGOLIS GEDANENSIBVS  
PROMPTISSIMA

AN  
SUB PREESIDIO ALTISSIMI  
MAGNifico UNIVERSITATIS RECTORIS  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO PATRI - ALEXANDRO DOMINO

DOMINO  
CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GADENVS

EPISCOPO AEMONIAENSIS  
EPISTOLAE  
CUM REVERENDISSIMO PATRI RECTORIS MAGNIFICENTIA  
D. D. ERNESTO BOCHNERO S. THEOLOGICO CANONICO  
ET CHORISTAE

REVERENDISSIMO ET CONSENSU GRATISSIMO  
FACULTATIS MEDICAE

IN ALMA AC HUMANITATE JURATA  
PRO GRADU DOCTORIS

UNA CUM PRIVILEGIIS AQUE IMMUNITATIBVS HUIUS  
DIGNITATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTINENDO

PRIME ET SECUNDAE CLASSIS HONORIFICATIONE NUNTIATIS

Stansdorf Augusti Augustini Augustini

Med. et Pharm. Gedonensis  
ANNO DOMINI MDCCCLXXII  
IN AULICO MAIORI COLLEGIO HONORIS CONSISTIT

ERNESTUS BOCHNERUS







## PROŒMIUM.



*Ventriculi & intestinorum* canalem nervoso-membranaceum fertilem morborum fomitem fovere, minerisque morboris solennem quali officinam præbere, unanimi consensu credunt Medici. Quum is enim alimentorum præparationi, particularum salubrium & nutritiarum secretionibus, heterogenearum excretionibus promovendis in statu secundum naturam inservire debeat, his necessariis functionibus non legitime succedentibus præternaturalis exinde status, seu ataxia & anomalia motuum subsequi solet. Interroganti autem, cur & quomodo hujus canalis functiones non rite procedant, sequentia paulo intimius sunt perscrutanda. Primo namque ali-



mentorū quantitate immodica homines gulæ indulgentes sibi ipsis nocere solent, dum majorem ciborum copiam assumunt, & nullam proportionem ingestorum cum viribus ventriculi observant, cum tamen optime scire debeant, quod omne nimium naturæ inimicum, & secundum CELSI verba nunquam utilis sit nimia satietas. Quam ob rem intemperantia gulæ dira generis humani carnifex haud inepte nuncupatur. Ingestorum porro qualitatem vitiosam vitiosos primarum viarum humores generare posse, nemo in dubium vocabit. Præterea plures succi fermentescibiles, ut saliva, mucus, bilis quoque depravata, cum multis aliis causis, in hunc canalem, tanquam multorum morborum fontes confluent, ubi propter intestinorum plicas, valvulas, flexuras & anfractus collecti hærent, & nisi motu progressivo celeriter expellantur, stagnatione pessimam naturam induunt, morbosque producunt tristissimos. In quorum censum vel maxime venit *Colica flatulenta*, præcipue autem illa, qua *Incolæ Gedanenses* frequentissime affliguntur. Cujus morbi indoles præterlapso sex annorum spatio  
mi-



mihī innotuit, quo temporis intervallo *in civitate Gedanensium amplissima* medicam Praxin sub divina gratia exercui felicissimam. Quemadmodum autem *speciminis inauguralis* loco hanc *Dissertationem* conscripsi, ita quoque publicæ Virorum peritissimorum censuræ illam subijcere placuit. In tria tantummodo Capita eandem dispescui, quorum Caput primum recenset *Casum de Colica flatulenta*, cum hujus morbi completa historia, ex compluribus observatis & adnotatis circumstantiis prognata, alterum continebit *resolutionem hujus Casus Pathologicam*, tertium *reflectionem Therapeuticam in se* comprehendet. Faxit SYMMVM NVMEN, ut omnia cedant in *Dei T. O. M.* gloriam, proximique salutem.

CAP. I.  
 SISTENS CASVM DE COLICA FLATV-  
 LENTA INCOLIS GEDANENSIBVS  
 FREQVENTISSIMA.

§. I.

**V**Idua honesta 39. annorum Gedani nata & educata, spongiosi habitus corporis, sanguinolenta & carnis plena, hilarioris & sensibillioris animi,



ad iracundiam vero & terrorem valde proclivis, ante pubertatis annos, priusquam tributum Lunare persolveret, conqueſta eſt de continuis doloribus colicis, cum maximis flatulentis, palpitatione cordis, & alvi obſtructione junctis. Uſurpatis autem neſcio quibus medicamentis colici dolores quidem ceſſarunt, remanſit tamen venter tympani inſtar tenſus, & flatibus repletus, cum pectoris anguſtia & capitis dolore intenſiſſimo. Medicus in conſilium vocatus his ſymptomatibus removendis varia præſcripſit medicamina, quibus aſſumtis, perque tempus continuatis, mitius factum eſt malum, non vero penitus ſublatum.

§. II.

Postquam autem prima vice menstrualis profluvii ſigna ſentiret, certo credebant Medici hanc colicam menſibus legitime fluentibus eſſe remiſſuram. Finitis autem illis eadem, qua antea, paſſione exercebatur, licet ordinario tempore ſemper ſufficienti quantitate menſtrua prodirent. Annis aliquot ſub colicis cruciatibus peractis matrimonium iniiit, & cum marito mercatore ſub ſtriſtiſſimo gelu merces emendi & vendendi fine ad nundinas profecta eſt, in quo itinere partes extremas cum abdomine non ſolum nimio frigore tactas, ſed etiam domum rediens colicam ſenſit ſæviorem, quam tamen cum vino de corticibus aurantiorum cremato mitigavit. Tribus vicibus ſucceſſive impregnata ſanos peperit infantes.

§. III.

Aſt marito opinione citius ante ſeptennium deſuncto in mœrorem nimium conjeſta adſvetis colicæ inſul-



insultibus subsequantium symptomatum cohors accessit, maxima nimirum præcordialis anxietas, germ. es wird ihr flau, schlin oder benaut, obfuscationes oculorum, tinnitus aurium, lipothymicæ frequentes, cordis tremor & palpitatio, partium extremarum refrigeratio, pressio ventriculi, als wenn ein Stein auf den Magen liege, dolores capitis & dorsi, Kopf und Kreuz brechen, incarcerati flatus, verschlossene Winde, & borborygmi, Vomitus & eructationes sonoræ, debilis appetitus & pulsus, vires languidæ, urina pauca, aquosa, turbida, alvus segnior, interdum tamen aliquot dies nimis fluida, quæ excretio æque ac si ructibus frequens pateat exitus, wenn sie öfters laut aufstossen oder aufhöltsen, oder Winde absetzen können, hos cruciatus sedare aliquantisper & mitigare solet.

§. IV.

Passioni huic molestissimæ jamjam septem annos fuit obnoxia, continuo quidem non decubuit, sed potius negotiis suis domesticis & mercatoriiis potuit ut plurimum præesse. Neque certum invasionis tempus & periodum observarunt symptomata, nonnunquam enim horis matutinis ante potum herbæ Thee, nonnunquam post illum multoties ante, sub & post prandium, vel cœnam, vel ipsa nocte exacerbantur. inter alia præprimis multiplici experimento compertum habeo, viduam hanc post iracundiam aut terrorem, in quam verbo aut vultu austero incendi facillime potest, statim crudelissimam hanc circa præcordia anxietatem cum plurimis recitatis symptomatibus experiri. Eundem quoque effectum præbent esculen-



ta & potulenta, victus ratione lacticiis, fructibus horæis, carnibus & piscibus infumatis, induratis, falsis, acidis quoque cibis admodum delectatur, præ omnibus tamen globulos farinaceos cum siccis prunis Damascenis & syrupo coctos, item fagopyrum, milium, pisa, fabas, brassicam rubram & albam libenter comedit. Cerevisia, potui quotidiano inserviens, tenuis, nomine & re ipsa tenuis est, gering Trinken, multoque minus, quam cerevisia Gedanensis nigra, satis cocta, sufficienter lupulata, legitime fermentata & defæcata reperitur. Hinc celerrime acefcit, & flatibus & borborygmis progignendis viam pandit. Peregrinas autem cerevisias per mare, per tellus advectas, vinum quoque Gallicum & Rhenanum, etiam crematum non nisi saccharo remixtum bibere, plurimorum Incolarum Gedanensium mos est ac consuetudo.

§. V.

Scitu insuper maxime necessarium est, domicilia eorundem ita ut plurimum esse extructa, ut gravior aër Atmosphæricus, per anticas fores in ampla domorum spatia irruens, contentum ibi aërem, respectu totius Atmosphærae leviolem, valde premat, & vehementer expellat, si huic per fenestram aut januam e diametro aut postica in domuum parte apertam exitus concedatur. Homines autem, qui in eiusmodi loco, quem aër ille motu celerrimo perrumpit, paulo diutius commorantur, facillime flatulentias in intestinis incarceratas sentiunt, & conqueruntur: sie haben allzulang im Zug-Winde gestanden, und sich die Colic aufgerührt. Ulterius observari meretur, quod Gedanen-

nen-



nenses pavimentorum aut tabularum lignearum loco in atriis & hypocaustis, quam calcant terram, lapidibus quadratis varii coloris & figuræ, admodum concinne dispositis, mit *Fliesen*, exonare soleant. Quos lapides singulis ferme diebus aqua & instrumento setaceo, den *Schrobber* dicto, mundificare, & sine proverbiali sensu lateres lavare coguntur ancillæ.

§. VI.

Ultimo loco nec prætereundum silentio est, sexum sequiorem præcipue his cruciatibus flatulentis esse expositum, quamvis adolescentes & viri nequam ab hac passione sint liberi & immunes. Dantur tamen omnino gradus Colicæ hujus flatulentæ, qui pro subjectorum differentia, causarum concurrentium & symptomatum pluralitate quam maxime differunt. Alii enim propter anxietatem atrocissimam ita prosternuntur, ut lipothymiis & deliriis obruantur, & dies aliquot gravissime decumbant, alii vero mitiora hujus Colicæ flatulentæ symptomata persentiscunt.

CAP. II.

CONTINENS HVJVS CASVS RESOLUTIONEM PATHOLOGICAM.

§. I.

**Q**uemadmodum in meæ Dissertationis Titulo & per totum Caput primum Colicæ flatulentæ, Incolis Gedanensibus frequentissimæ, mentionem feci, hujusque Historiam cum omnibus circumstantiis, qua potui perspicuitate, tradidi; ita quoque eandem

B

dem



dem definire & Pathologico scrutinio resolvere susceptum exigit negotium. Colica igitur flatulenta Incolis Gedanensibus frequentissima est morbus spasmodicus in canali intestinorum, præcipue verò coli residens, ab impura primarum viarum colluvie, & a flatibus præsertim incarceratis, pressioem ventriculi, anxietatem præcordialem, dolores capitis & dorsi, vomitus, borborygmios, alvique obstructions procreantibus dependens, spasticis stricturis ordinem & proportionem motuum in solidis & fluidis perturbans, & secretionis & excretionis functiones imminuens.

§. II.

Quum sub Colicæ generali nomine plures hujus morbi species comprehendantur, quæ gradu, causis, partibus affectis, nec non symptomatibus differunt: Sic in cognoscenda hac Colica flatulenta differentiam, quæ huic cum aliis Colicæ speciebus intercedit, paulo attentius evolvere necessarium est. Differt igitur Colica flatulenta a Colica humorosa, utpote aliis symptomatibus stipata: in humorosa enim fixus, perterebrans, pungens, aut rodens dolor abdominis, vel intestini coli percipitur, *Reissen und Kneipen im Leibe*, qui partim excrementis induratis, partim viscido-glutinosa & acidæ mucilagini, in intestinis stagnanti, sua debet incubula. Differt quoque ab illa Colica, quam convulsivam Practici denominant, seseque cum dolore contorquente, lacerante, lancinante nunc in duritiem abdominis tendente, aut convulsionibus, aut contorsionibus intestinorum, *als wenn sich alles im Leibe umdrehet*, manifestat, & à crispatura spasmodica nervorum



rum ad intestina distributorum, & per consensum affectorum nunquam non proritat. Neque ausim illam vocare Nephriticam, Podagricam, seu Arthritidem anomalam internam, nec hæmorrhoidalem, nec mere biliosam, utpote quæ horum affectuum signis antecedentibus, causis & symptomatibus inseparabili nexu concomitantibus est destituta.

§. III.

Neque convenit Colica flatulenta cum eadem, quæ lue Venerea infecti nonnunquam affliguntur, nullis nisi mercurialibus unguentis succumbenti, ex diversissimo antecedentium causarum concursu orta, & a Zacuto Lusitano *L. 2. Præceos Admirabilis Observ. 22.* adnotata. Neque huc pertinere videtur illa colicæ passionis species, quæ ex deglutitorum v. g. nummorum aureorum subsistentia in cellulis coli, stercoribus transitum præpedienti, originem duxit, observante Bartholino *C. 3. Epist. 69.* it. Borello *C. 4. Observ. 25.* Nec confundenda est cum atrocissima Colica, quæ tussim, præcordiorum angustiam, & respirandi difficultatem a vapore saturni hausto habuit comitem, qualis Observatio legi meretur in *M. N. C. Ann. 3. Observ. 131.* Nec Colica Calculosa in hunc censum venit, ubi nempe ex calculosa in intestinis concretionem gravissimi dolores colici suscitati, & excretis e canali intestinorum calculis iterum mitigati sunt, qualia exempla Horstius *L. 4. Observ. 44. & seqq.* publici juris fecit. Distinctissima denique est ab illa Colica, cujus dolorum contumacissimorum scaturigo ex vermibus & lumbricis provenit, quam speciem Colicæ Verminosam Ama-



tus Lusitanus *Cent. 1. Cur. 5. § 33. p. 232. 236. 237.* ulterius delineavit.

§. IV.

Quantquam nemo negare potest, singulas Colicæ species sororiam quasi inter se habere cognationem; ut quævis tamen ab altera rite discernatur, maxime opere necesse est. In colica igitur flatulenta ab aliis Colicæ speciebus dignoscenda primario symptomata essentialia, & deinde, quæ cum aliis communia habet, pro viribus utut exiguis enodare me oportet. Symptomata quod attinet essentialia, sunt illa: flatus intestino colo firmissime incarcerati, eructationes sonoræ, & potius dicam, gravissime resonantes, & borborygmi sub incurvatione abdominis ab adstantium auribus distincte perceptibiles, & ab aliis colicis borborygmis vehementiori tono, quem præbent, differentes. Quæ cum aliis Colicæ speciebus communia habet symptomata, sunt spasmodicæ intestinorum & partium vicinarum stricturæ & tensiones, anxietas præcordialis, dolores capitis & dorsi, vomitus, alvi obstructions, perturbatio motuum, atque secretionum & excretionum imminutio. Causarum ratione omnino etiam differt Colica flatulenta ab aliis, quippe quæ non ex sola materiali causa peccante viscido-acida vel biliosa in intestinis semper præsentem exsurgit, multo minus intestinis infentibus ex sola spasmodica nervorum a plexibus mesenterii disperforum contractione primordia sumit, sed cum prædictis causis concurrentibus sæpissime depravatæ ventriculi functionis & labefactati motus peristaltici soboles est.

§. V.



§. V.

Definitione & differentia Colicæ flatulentæ præmissa, resolvendus est casus in hac Dissertatione recensitus, ut eo melius innotescat hujus morbi genesis atque indoles. Quod si itaque Colicæ flatulentæ in hoc casu allegatæ initium & progressum considero, clarissime patet, viduam hanc primis annis, ante profluvium lunare, initumque matrimonium e Colica laborasse Humorosa. Cujus rei testimonium perhibent colici dolores continui & flatulentæ frequentes cum alvi obstructione pertinaci junctæ. Causa tunc temporis non alia fuit, quam vitium in diætâ commissum, ex quo saburra viscido-acida in regione prima, imprimis vero in intestino colo fuit coacervata; Siquidem ex §. 4. Cap. I. liquet, hanc fœminam saccharatis, alimentis dulcibus, fructibus horæis facile fermentescibilibus, lacticiis & acidis delectatam esse, tenuemque pro potu ordinario cerevisiam citissime accipientem bibisse. Nihil autem magis intestinorum vitio Colicam excitare solet, quam acidum tunicis nerveis inimicissimum, unde etiam hi dolores suam duxere originem. Flatulentæ proventus alvi que obstructio eodem jure materiam viscido-acidam in flexura coli stagnantem pro causâ agnoscit. Quemadmodum autem morbis pro circumstantiarum varietate alia atque alia symptomata superveniunt; ita quoque in hoc casu symptomata, aliis Colicæ speciebus similima observanda occurrunt, ut venter tympani instar tensus, & flatibus repletus, pectoris angustia & capitis dolores, in sequentibus explicanda.



§. VI.

Quoniam vero hæc symptomata multoties quidem mitigata, nihilominus tamen penitus haud sublata sunt; sic quoque ventriculus & intestinorum canalis quantitate & qualitate peccantium & vitiosorum humorum majorem accumulavit copiam, majoremque contraxit labem & atoniam, corpusque hujus viduæ successive debilius, genus nervosum imbecillius redditum est, hinc non potuit aliter fieri, quin ad Colicam, qua diutius oppressa fuit, truculentiora accesserint symptomata, quorum causæ ulterius sunt evolvendæ.

§. VII.

Præcordialis igitur anxietas testante Etmüllero nihil aliud est, quam dolor orificium ventriculi superius angens, qui ab hujus constrictione & motu convulsivo provenit. Hanc vero constrictionem & motum convulsivum suscitant flatus, a quibus fibræ irritantur & vellicantur, unde membranæ se contrahentes orificio superiori simul stringendo stimulum addunt, adeoque non ipsum cor laborat secundum vulgi opinionem sed ventriculi orificium superius radix est harum circa præcordia anxietatum. Nonnunquam tamen a partibus externis regurgitans sanguis cum impetu ruit ad cor, excitatque mole sua premente anxietates quam maximas.

§. VIII.

Obscurationes oculorum, tinnitus aurium, lipothymia, cordis tremor ac palpitatio, & dolores capitis partim a colluvie primarum viarum viscido-acida & amurca biliosa, partim a spasimis & flatibus incarceratis & con-



congestionibus sanguinis, derivari debent. Quod si enim materia peccans viscido-acida in intestinis paulo diutius remanet, tunc semper concipit majorem acorem, qui tunnicam intestinorum nerveam admodum sensibilem rodendo & vellicando ad maximas stricturas impellit. Motu autem spastico in intestinorum canali simul quoque mesenterii plexus, qui a nervo intercostali & pari vago oriuntur, suosque ramos diffundunt partim ad renes, partim ad testina, partim ad ventriculum nunc saevius, nunc mitius convelluntur, ut per consensum nervorum gravissima symptomata, v. g. in capite suscitata, causam tamen radicatam in spasmodica primarum viarum crispatura omnino habere possint.

§. IX.

Partium extremarum refrigeratio etiam spasmodicas pro causa habuit stricturas. Dum enim foemina sensibilibioris naturae ad spasticas stricturas proclivis corpus suum vento, inibi dicto, dem Zug-Winde, exposuit, aut tempestate humida, pluviosa aut frigida per plateas deambulavit, aut etiam in conclavi lapidibus quadratis exornato recenter lotis, aut ab aeris mutatione humidis, paulo diutius comorata est, tunc protinus extremarum partium spasmus, non solum cutis superficiem cum delitescentibus sub ea glandulis & tubulis occlusit, transpirationem impedivit, fordesque excrementitias versus interiora repulsit, verum etiam ventriculi & intestinorum canalem flatibus & borborygmis mirum in modum replevit, motumque peristalticum turbando maximos cruciatus excitavit. Multiplicibus quoque observationibus constat, hanc viduam statim insulsubis

co-



colico-flatulentis obrutam esse, quando nempe ad iracundiam permota, aut terrore perculsa fuerit. Quod certiore me fecit, bilem per iram vehementius commotam, inque duodenum majori quantitate effusam, cum particulis acido-austeris mixtam, non solum atrocis spasmos, sed etiam maximam flatuum copiam exitum sollicitantium produxisse. Terror quoque partium externarum spasmodicam efficit contractionem, qua sanguis a circumferentia ad centrum pellitur, unde vasa detumescunt, venis nullis, vel minimis tantum apparentibus, facies pallorem contrahit, partes externæ refrigerantur & contremiscunt. Terrorem insuper sequi solent anxietates præcordiales, spirandi angustia, pulsus debilis & frequens, obfuscationes oculorum, tinnitus aurium, lipothymia, cordis tremor ac palpitatio, status & borborygmi, & plura alia symptomata.

§. X.

Semper quidem in omnibus subjectis intestinum jejunum flatibus repletum reperitur, ut secundum plurimorum opinionem parietes intestinorum, ne invicem collabantur, disintos conservet, & consequenter tunicarum intestinalium pori maneant patuli. Ast de hujusmodi flatibus hic non est sermo, sed potius de illis, quorum in Casu hujus Dissertationis allegato facta est mentio. Flatuum itaque origo est investiganda, quæ sæpius materiæ viscido-acidæ & biliosæ, sæpius depravatis ventriculi & intestinorum functionibus atque atoniæ, nonnunquam etiam causis externis, ut refrigerationi pedum &c. & spasmo a peripheria ad centrum tendenti adscribi debet. A prædicta



dicta causa materiali celerrime subnasci posse flatus, crebra eorundem eruptio post iram testatur, pariter ac materiae viscidæ vel acidæ, vel amaricantis per vomitum ejectio. Assumpta etiam alimenta flatus in primis viis generare posse, experiëntiâ comprobatur. Illi tamen, quorum tonus intestinorum est destructus, & functiones viscerum depravatæ sunt, ad progignendos flatus maxime dispositi habentur. Cujus rei testimonium exhibent viscerum tono destituti, qui ex cibis eupeptis seu facillimæ concoctionis, & minime flatulentis per vitiosam concoctionem & digestionem copiosissimos flatus parturiunt; cum tamen alii robustiores alimenta, utut maxime flatulenta, sine suborta digerunt flatulentia.

§. XI.

Flatum generatione cognita ad truculentos illorum effectus explicandos procedendum esse arbitror, quod ut eo melius succedat, situs coli maxime est necessarius. Intestinum igitur colon a dextro ingvine incipiens supra circa dextrum renem sursum assurgit versus hepar, & inde sub costis nothis transversim fertur ad hypochondrium sinistrum, cujus magnam quidem partem occupat; nihilominus tamen mox angustatum contorquetur ad renem sinistrum, ubi tandem ad os sacrum in intestinum rectum devolvitur. Ex situ intestini hujus tortuoso & flexuoso intelligere unusquisque potest, materiam primarum viarum peccantem, & scybala indurata, ipsosque flatus non tantum in colo hospitium invenire aptissimum, sed etiam ipsum canalem cum retentis imbecillioribus in subjectis per spasmus coarctari & constringi posse. Quo autem constricto flatus incarcerati per calorem internum rarefacti,



refacti, elasticitate sua & vi expansiva intestinorum distorquent gyrum, illorumque cavitatem distendunt, & statu naturali reddunt ampliorem, maximeque turgidum. Hinc borborygmi seu murmura ventris, hinc pressio ventriculi molestissima cum doloribus capitis & dorsi connexa, hinc venter tympani instar tensus, hinc anxietates præcordiales, hinc eructationes sonoræ, hinc virium & appetitus prostratio, alvique obstructions in Casu hoc resolvendo sævissimam suam excuerunt tyrannidem. Cur autem Incolis Gedanensibus Colica hæc flatulenta solennis sit & frequentissima, ex antecedentibus petenda est ratio.

CAP. III.

COMPREHENDENS REFLECTIONEM  
THERAPEVTICAM.

§. I.

**Q**Uum itaque hominum sanitas multiplicibus & innumerabilibus exposita sit mutationibus, quæ solidarum & fluidarum partium motus nimis augent vel infringunt, & secretiones & excretiones, aliasque functiones corporis animalis perturbant: vocanda omnino in subsidium est medendi methodus, quæ remedia causis morbificis extirpandis adæquata inveniat, eademque certo ordine, certo tempore ac dosi pro cuiusvis corporis & morbi conditione tota curationis periodo administret.

§. II.

Bina autem sunt, quibus medendi methodus innititur, genuina veritatis & certitudinis fulcra, quorum unum ratio, alterum experientia appellatur, nexu mutuo



tuo sibi invicem jungenda. Illa namque, nisi experimentis firmetur, solis speculationibus etiam si subtilissimis, morbos haud tuto extirpat; hæc vero nisi ratio accedat, fallacissima secundum Hippocrat. Aphorism. I. est, & agyrtarum potius ac circumforanearum, qui rationibus solidis destituti solam experientiam crepant.

§. III.

Ut autem Medicus feliciter suo fungatur officio, suas habeat indicationes necesse est, quarum intervntu rationes inquirat, cur in morbis hoc vel illud medicamen præscribendum vel fugiendum esse protinus dignoscit. Indicationes vero sumuntur ab ægotantium symptomatibus, ad quas formandas etiam urinæ inspectionem aliquid conferre plurimi existimant. Non tamen hic intellectam volunt empyricam illam ac divinatricem artem ex urina judicandi, & specialissima ægro nunquam viso præfagiendi, qua imperiti non aliter de morbi genio, de causis & modo fiendi impudentissima garrulitate perorant, ac si per aliquot menses intra corpus ægroti stipendia fecissent, vel ibi, tanquam in ventre balenæ cum Jona per triduanas moras totius œconomix animalis arbitri fuissent.

§. IV.

Resectis igitur supervacaneis ambagibus ad reflectionem Therapeuticam me ducunt quatuor indicationes, quas ratio dicitur, & experientia confirmat: Prima nempe: impura primarum viarum colluvies est corrigenda & evacuanda, secunda: Spasmi sunt consopendi, tertia: Flatibus procurandus est exitus, & denique quarta: ventriculo & intestinis labefactatis restaurandus est tonus. Indicationi primæ inserviunt ea, quæ acidum in primis viis præcipitant, viscidorum humorum saburram, quam urina turbida te-



statur, incidunt & resolvunt, bilem attenuant, & per alvum lubricam leniter educunt: Meo usui cessit medicamen ex aloe encheiresi quadam correcta & cum menstruo alkali- no in elixiris formam redactum, die Alterations-Tropfen di- ctum, quod non solum successive acidum præcipitat, visci- dum resolvit, sed etiam bilem copiosius effusam vi laxante lenissima educit, alvumque servat apertam.

§. V.

Secunda indicatio medicamenta exposcit spasmos con- fopientia, in hunc finem pulveres Antispasmodicos, Cin- nabarinos & Pillulas balsamicas Schalii cum fructu adhibui, & frequentem Clysterum emollientium svasi usum. Flati- bus incarceratis exitus ut procuretur medicaminibus, ter- tia indicationis urget necessitas, quod permultis Essentiis, Carminativis, & Aromaticis in casum adhibitis præstitit Balsamus Vitæ, quo assumto ut plurimum eructationibus copiosissimis via patuit, & mitiora facta sunt symptomata. Quartam indicationem quod concernit, ventriculo & in- testinis labefactatis stomachica & roborantia dicantur: hac ratione Pulverem Pomorum Aurantiarum immaturarum adjecta pauca quantitate Pulveris Chakarilla, aut ex his duo- bus menstruo quodam digestionem Essentiam extractam non sine fructu præbui usurpandam.

§. VI.

Licet Materia Medica non ita pauper & manca sit, quin magnam farraginem medicamentorum cuivis indica- tioni intervientium annectere potuissim, tamen ad proli- xitatem evitandam undæ undam addere nolui. Hic tantum quæ in Casu Dissertationis hujus recensito proficua fuere, adposui. Plura legere qui satagit, prolixiores Celeberrimo- rum Practicorum libros evolvat, in quibus majorem con- scriptarum Formularum copiam in unaquaque Colica pas- sione laudatarum inveniet. Quibus B. L. me relin- quo commendatissimum.

F I N I S.

FA-



FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQA HIERANA  
DECANI  
**HIERONYMI** *Dudolff/*

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,  
EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSI-  
LIARII ET ARCHIATRI, CHYMIÆ ET MATHEMA-  
TVM PROF. PVBLICI, LAVD. FAC. MEDIC.  
ET PHILOSOPH. ASSESSORIS  
ORDINARIJ,

EPISTOLA GRATVLATORIA  
AD NOBILISSIMVM, CLARISSIMVM ATQVE EXPE-  
RIENTISSIMVM

DOMINVM  
**Srau Gott** *Gohr/*

*Nordhusa - Thuringum,*  
& Medicinæ Practicum Gedanensem  
Felicissimum,

DE DIV OPTIMO CVM SVCCESVV ABSOLV-  
TIS STVDIIS, FELICISSIMA PRAXI MEDICA  
HACTENVS EXERCITA, ET OBTINENDIS SIMVL  
PROMERITIS SVPREMIS HONORIBVS DO-  
CTORALIBVS.



V I R  
NOBILISSIME, CLARISSIME, ATQUE EXPE-  
RIENTISSIME,  
DOMINE DOCTORANDE  
MERITISSIME ET DIGNISSIME,  
FAVOR ET AMICE COLENDISSIME,

**H** Aud ignotum est, sed potius vel maxime comper-  
tum illud commune proverbium: Omne tri-  
num perfectum. Nolo vero in presentia-  
rum æque defendere, solum numerum tena-  
rium esse perfectum. Sub iudice enim adhuc lis est, annon  
numerus septenarius, qui numerus facer communiter  
audit, perfectior sit censendus ternario. Potiori potius ju-  
re citra omne præjudicium rectius & melius sententium pu-  
taverim, nulli numero in se & per se datam esse aliquam  
prærogativam & vim specialem, juxta canonem Philo-  
sophicum: Quantitatis nulla est efficacia; Et sole meri-  
diano clarius est, omnem numerum gaudere sua perfe-  
ctione intrinseca, sibi à DEO, datore omnis Boni, in-  
fita & concessa. Interim neque hoc negandum æque est  
multas res certo quasi numero adeo videri esse alligatas,  
ut iste totam earundem latitudinem explere videatur.  
Et ita mihi videtur esse comparatum cum Vita Mortalium  
bene ducenda, ut numero ternario fere ejusdem fasti-  
gium complecti sufficientissime innotescat. Bonus enim  
ejusdem ortus, bonus progressus, & tandem bonus  
finis, cynosura certissima atque eidentissima extat vitæ be-  
ne inchoatæ, bene producendæ & benè absolvendæ.

Quod



Quod trinitum perfectum admodum concinnè exprimunt  
tria elegantissima, Græci Idiomatis, germina sive vocabula  
nitidissima: I. ἐφύλα. II. ἐπαίδευ. III. ἐζήτη. Illa enim or-  
tum bonum, à Parentibus bonis exprimit & habilita-  
tem simul & ingenium connatum complectitur, juxta  
illud:

Fortes creantur

Fortibus atque bonis:

Bonitas enim naturæ multa saluberrimè supplet, unde SV-  
PREMVS ORATORVM PRINCEPS in Catone Majore sequen-  
tibus auro puriori nitidissimis utitur verbis: Natura dux  
optima; Item in Parodox. I. Mater rerum omnium  
natura, Tandem: Sua cuique natura est ad vivendum  
dux, L. 5. de Finibus. Ista vero, alterum nimirum vitæ  
bonæ fastigium, ἐπαίδευ, bona educatio, omne fere pun-  
ctum absolvit, & felicitatis humane robustissimum funda-  
mentum quasi ponit, ad quam equidem multum contribuant  
sepe consilia saluberrima Parentum, Præceptorum,  
Agnatorum & Amicorum, plurimum tamen aut potius  
præcipuum momentum quoque addit connata inclinatio, na-  
tura, habitus & ingenium juxta vulgatissimum: Was ein  
Heckgen will werden, krümmet sich in der Zeit. Quod  
si hæc bona fuerit, non potest non sperari hujus, ἐζήτηs ni-  
mirum, bonæ ac beatæ vitæ reliquus proventus exoptatissi-  
mus, sive omnium actionum humanarum saluberrimus finis,  
tunc enim valebit illud: Jung gewohnet, alt gethan, &  
observabitur hoc: Quicquid agis, prudenter agas & re-  
spice finem. Sed ut ad scopum & finem quoque meum de-  
properem jam mihi præfixum, non possum non Tibi, Hono-  
ratissime Domine Doctorande Lohr, Fautor & Amice  
desideratissime, impensissime, atque ex intimis cordis pene-  
tra-



tralibus gratulari de obtenta saluberrima perfectione ternarij hujus speratissimi: *εὐφροσύνης, ἐπιεικείας & ἐπισημίας.* A Parentum enim Honoratissimorum prosapia Nobilissima profeminatus 1. habilitate atque ingenio, 2. educatione, & 3. vitæ immunitate te nullibi non commendasti luculentissime. Te re ipsa commendas 1. doctrina, 2. vita, & 3. moribus. Te quoque Inchyre atque Amplissimæ Facultati Nostræ Medicæ commendasti uberrime in examine primo, secundo & tertio, disputatione nim. publica Inaugurali, verbo: Te exhibuisti in studio physico & anatomico versatissimum, in pharmaceutico & chymico exercitatissimum, in theoretico doctissimum, in practico experientissimum, ut diu promeritum gradum Doctōris Medici supremum condebite reportes Etrinum perfectum. *Dei DEVS, ut Tibi semper affulgeat impoſterum quoque trinum perfectum: 1. Praxis Medica felicissima & sparta uberrima. 2. Conjugium saluberrimum, & tandem 3. post seros & Nestoreos quoque annos beata ἀνάσσει;* Sic enim ex omni parte eris beatus. Dabantur è Museo d. XXIIIX. Junii M DCC XXVI. Erffurti.





80 A 6421

f

ULB Halle 3  
002 927 306



Nr. 11 nur

verknüpft


TA-70L

R


VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

25

*Q. D. B. V.*  
DISPUTATIO INAUGVRALIS MEDICA,  
SISTENS CASVM

DE  
**COLICA FLATVLENTA**  
**INCOLIS GEDANENSIBVS**  
**FREQVENTISSIMA,**

QVAM  
SVB PRÆSIDIO ALTISSIMI,  
MAGNIFICO VNIVERSITATIS RECTORE  
AC PRO-CANCELLARIO,  
REVERENDISSIMO ET PER-ILLVSTRI DOMINO,

DOMINO  
**CHRISTOPHORO IGNATIO**  
**DE GVDENVS,**

EPISCOPO ANEMORIENSI,  
SVFFRAGANEO ERFORDIENSI, EMINENTISS. PRINCIP. ELECTORIS MOGVNT.  
CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEMOVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIF.  
J. V. D. INSIGN. ECCLES. COLLEG. S. SEVER. CANON. CAPIT.  
ET SCHOLAST.

INDVLTV ET CONSENSV GRATIOSÆ  
FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA AC PERANTIQVA HIERANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
VNA CVM PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS HVIC  
DIGNITATI COMPETENTIBVS LEGITIME OBTI-  
NENDO

PVBLCÆ ET PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET  
**Dra Gott Sobr/ Nordhusa-Thuringus,**

Medicinæ Practicus Gedanensis,  
AD D. XXVIII. JUNII ANNO M DCC XXVI.  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.